

menta. Nam qui ex hoc ordine vel aulam, vel militiam, vel ru-
ri vitam œconomicam sectantur; etsi naturalem Logicam sibi sen-
tiunt commodissimam; eo tamen vix adigi poterunt, ut hujus
Disciplinæ querant præceptores.

II. Eruditos vero Politicos jam agnoscimus, si quatuor
Academiarum Facultates intueamur. Isti enim sunt, qui ex al-
tera Classe moralibus & politicis principiis imbuti, ad Leges
civiles, & negotia judiciorum & consultationum descendunt. Et
ad eos quoq; Doctores alegendur, qui generis nobilitatem li-
teris commendatam esse cupiunt.

III. Evidem in Academiis distinctos habemus Præcepto-
res, unde proficiant Theologi, Jcti, Medici, quinet Philosophi.
Sed ea diversitas si prorsus observari non potest in Scholis &
Gymnasii, omnino tamen requiritur a Præceptoribus, ut co-
gnito cuiuslibet studio, nec nimium cuivis exhibeant nec parum.
Aliter ponenda sunt fundamenta templorum, aliter curiarum: in-
de quis neget, aliâ doctrinâ excitandos esse homines, templo vel
curiae profuturos. Sic enim Præceptores Academicci tanto mi-
nus conquerentur, rudes & incultos auditores suis Lectionibus
fuisse obtrusos.

IV. Evidem ipsorum Politicorum in vita communî non
levis est diversitas. Nonnulli enim id solum agunt, ut publicis suf-
ficiant negotiis: alii vicissim eâ simul pollere volunt dexteritate,
ut, quod in praxi feliciter præstant, docere queant ceteros. Quin
autem istos deceat major Logices notitia, dubium est nullum.

V. Interim si nemo certus est, quantum valeat intelligen-
do, quamdiu nescit, quantum valeat docendo: forte optandum
est, omnes in docendi hâc facultate paululum confirmari. Niſi
enim ad aliquem spectare potest informatio directa, ut auditores
passim confluentes ab eo velint fieri doctiores; præstari tamen id
solet indirecte, cum in disputatione, in conversatione in solenni
consultatione sententia proposita vult explicari. Nam sic in judi-
ciis quoq; ſepius appellare solemus a Judice minus informato, ad
melius informandum.

VI. Qvicquid autem hujus sit, videamus potius, quæ stu-
dia præ ceteris occupare Politicum debeant, ut exinde, quas par-
tes